

No. 613. 1372. 1. März.

Der päbstl. Nuntius Johann Patriarch von Alexandrien ermächtigt die Pröbste zu Meissen und Budissin, dafern der Erzbischof von Magdeburg und die Bischöfe von Brandenburg und Merseburg, so wie einige Aebte, Prioren und Prälaten Meissner Diöces in der Weigerung beharren, den ihnen auferlegten Antheil an den ihm gezahlten Tagegeldern zu gewähren, gegen diese mit der Excommunication, Suspension und dem kirchlichen Interdicte zu verfahren.

Johannes miseratione divina patriarcha Alexandrinus apostolicae sedis in partibus Alamaniae Boemiae Vngariae et nonnullis aliis nuncius et legatus venerabilibus viris . . Misnensi et . . Budissinensis diocesis ecclesiarum praepositis salutem in domino sempiternam. Cum sanctissimus in Christo pater et dominus noster dominus Gregorius divina providentia papa undecimus nos ad dictas partes destinans nobis per suas litteras apostolicas concesserit et ordinaverit, quod per personas ecclesiasticas, per quarum loca nos contigerit declinare, quindecim floreni auri nobis assignarentur qualibet die, et si contingeret nos in aliquibus terris sive locis moram trahere etiam ordinavit, quod contributores prout nobis videretur pro facilius supportandis oneribus et expensis daremus et ordinaremus: hinc est, quod nos nuper a reverendo patre domino . . episcopo Misnensi et eius clero pro expensis nobis necessariis septingentos florenos auri recepimus, et ne ipse dominus episcopus et eius clerus plus debito gravaretur, ad contribuendum cum eisdem reverendis in Christo patres dominos Magdeburgensem archiepiscopum et Brandenburgensem ac Merseburgensem episcopos dedimus et per nostros processus imo verius apostolicos ordinavimus, prout in eisdem processibus, quos eisdem et vobis mittimus, plenius continetur; postque vero pro parte dicti domini episcopi et eius cleri fuit nobis expositum, quod ipsi domini archiepiscopus et episcopi et nonnulli abbates priores et alii praelati diversorum ordinum exempti et non exempti suae Misnensis diocesis recusant dictis processibus etiam et processui eidem episcopo Misnensi per nos dato ac mandatis et monitionibus nostris imo verius apostolicis obedire, ideoque vobis et vestrum cuilibet auctoritate apostolica tenore praesentium committimus et mandamus, quatenus si vobis constiterit dictos processus nostros imo verius apostolicos eisdem dominis archiepiscopo et episcopis fuisse legitime praesentatos, ipsosque dominos necnon et dictos abbates et praelatos alios cuiuscunque status et ordinis existant exemptos et non exemptos ac alios quoscunque, quos rebelles inveneritis ac inobedientes eisdem mandatis nostris imo verius apostolicis, contra ipsos eorum quemlibet ad denuntiationem sententiarum in dictis processibus contentarum et ad aggravandum et alias procedendum contra ipsos prout vobis videbitur iustitia mediante, ac ipsos inobedientes et rebelles ut excommunicatos suspensos et eorum ecclesias interdictas publice denunciandum et denunciari faciendum auctoritate apostolica supradicta procedatis et procedere valeatis, absolutionem vero illorum, qui sententias in dictis processibus per nos latis ac etiam per vos auctoritate praedicta promulgandis et rite ferendis intraverint, dicto domino episcopo Misnensi ac vobis et vestrum cuilibet tantummodo reservantes. Datum Wratislaviae sub sigillo nostro die prima mensis Martii anno domini millesimo CCC^{mo} LXX secundo.

Nach dem Orig. im Stiftsarchiv zu Brandenburg mit dem Siegel wie No. 610.